

#d856 - 25

OBSERVATIONVM
CRITICARVM
PARTICVL A SEXTA

QVA

MEMORIAM
b. IOANNIS GOTTOFREDI LANGII

A. D. XXVI IVN. MDCCCLXXXVIII

IN
GYMNASIO ILLVSTRI ELECTORALI

INDE AB HORA IX MATVTINA

PIE RECOLENDAM
HUMANISSIME INDICIT
M. CHRISTIANVS DAVID IANI

ILL. GYMN. RECTOR



ISLEBIAE TYPIS HULLMANNIANIS

Brown University Library
Provenance

M V I R O D E T I O

L E G A C Y
C O M M U N I C A T I O N S
P R O C E S S U A L E S

E R C U S C O D E S
C O M M U N I C A T I O N S
P R O C E S S U A L E S
C I N Q C E V E N T I E I X
E S T O U E N T I C H

C O M M U N I C A T I O N S
P R O C E S S U A L E S

VIII.

Horat. Carm. I. 4. 7 sq.

— — — dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

Carmen Horatianum, unde hunc locum excerpimus, est ex genere eorum, quae lectores capiunt et permulcent cum descriptione expedita et facili, suavitate ac veritate imaginum et sententiarum, quae poetae sponte occurrisse videantur, quibuscum internus noster sensus statim congruat; tum etiam, quibus in primis excellere in talibus poeta debet, elocutionis et tractationis virtutibus. Sed noster quidem locus difficultates habet, quibus utraque ars critica cum fructu occupari possit, tam ea, quae in veterum scriptorum textu rite constituendo versatur, quam, quae ex elegantiae praeceptis de illorum operibus iudicat. Quare uberiorem illius illustrationem eo minus displicituram speramus summi poetae amicis, cum in commentario perpetuo non nisi breviter et strictim attingi possint ea, quae nunc copiosius declarare in animo est.

Officinam Vulcani Homerus in Olympo collocat II. σ.
369. Sed et adsignant illi poetae veteres insulas et montes, subterraneis ignibus notabiles, ut Lemnum, item insulas Vulcanias (Aeolias, Liparenses), prope Siciliam, in primis Hieram, Liparam et Strongylen (hodie Volcano, Lipari et Strom-

A 2

boli):

boli): tum Aetnam montem et alios. v. Ill. Heyn. ad Virg.
Aen. viii. 416. Eae sunt officinae Cyclopum, ministerorum Vul-
cani, quae graves dicuntur, hoc est, laboris et molestiarum
plena, verbo a Cyclopum laboribus ad officinas, ubi illi la-
bores sunt, translato. Sed iam tria sunt in hoc loco, quae
offendere doctos lectores soleant. Primum vituperant epi-
theton *ardens*, Vulcano tributum; deinde displicet iis verbum
urit; denique cum irrisione quadam quaerunt, qua ratione
haec universa montium ignivomorum imago in veris pictu-
ram inferri potuerit? Igitur de singulis videamus.

Ardentem aiunt ab Horatio Vulcanum dici traducto ab
ignis natura ad Deum, qui ei praefit, epitheto: quod contra
omnem elegantiae sensum sit. Omnino, si ita accipi vocabu-
lum voluit Horatius, magnum in se vitium admisit: neque e-
nim insulsius quidquam aut absurdius cogitari possit, quam, si
quis Vulcanum *ardentem* dicat, quia Deus ignis sit, et ignis
ardeat. Nam licet plura occurrant apud poetas epitheta nu-
minum, ducta ab rebus iis, quibus praesident, aut ab domici-
lio; tamen ita semper debent explicari posse, ut ipsis etiam
congruant. Ita Hesiod. theog. 106. ἀσερέντα vocat οὐρανὸν
Deum, non simpliciter, sed quatenus vestem habet stellatam,
quae est ipsum magnum caelum. Ita recte Dii marini *caeru-
lei* dicuntur, inferi *nigri*, a domicilio, quod inde et ipsi colo-
rem trahant necesse est, dum in illo, vel per illud, conspici-
untur: qua etiam ratione apud Hesiodum l. l. est Νύξ δυοφερή,
veste atra: item Πόντος ἀλμυρός, quoniam, qui in mari habitat,
aqua marina et salugine in se contracta madet. Sed, quomo-
do haec via et ratione explicemus *ardentem* Vulcanum, non
ha-

habemus. Igitur ne exspectemus quaeso a politissimi iudicij
poeta Horatio tam rudem tamque enormem inficitiam, ut eum
epitheton, igni proprium, sic simpliciter Vulcano, in quem
ipsum nullo modo conveniret, attribuisse putemus. Potius
Vulcanus *ardens* est candens aestu et relucens flammis ante
caminos suos, αἴθων, αἰθόμενος, φλέγων. Ita Virg. Aen. II. 734
dixit *ardentes clipeos*. Senec. Med. 858. *flagrant rubentes*
genae. Stat. Silv. I. 5. 8. *Sicula incude rubentem*, de ipso Vul-
cano: et eodem sensu Silv. III. 1. 132. *nec maior ab aniris*
Lemniacis fragor est, ubi flammœus *aegida caelat Mulciber*.
Sic *ardens* est epitheton pulchrum et graphicum: licet, anci-
pitem aliquam in eo obscuritatem inesse, largiri iis, qui velint,
facile possimus. Similis Horatio lis intenditur super Carm. III.
4. 58. ubi v. not.

Deinde lectionem vulgatam *urit* primus sollicitavit Iu-
lius Scaliger Poet. VI. 7. ubi „non urit, inquit, caminos: de-
ficerent enim. Melius, *urget officinas*: quippe magistri est,
operas urgere.” Suffragatus illi Bentleius Vulcanum negat
dici posse *urere* officinas: „quippe, inquit, eo pacto et toram
tabernam, et omne operis instrumentum, una combureret:
quod de Vulcano, tabernæ domino, suspicari festivum sane
esset.” Hoc est ita argutari, ut vix ristum contineamus, nisi
nobis iam notum sit summi ceteroquin critici nugatorium fri-
gus, simulac ingenii poetici eleganria potius, quam doctrina
et lectione, opus est. Quid iubebat Bentleium verbum *urere*
accipere pro *comburerere*? Cur non ita accipiebat in *caminis*,
quos *uri* recte dici ait? Et quomodo comburi possint montes
ignivomi? Scilicet, ut possent, in tabernas eos, virgula magi-

ea admota, Bentleius mutavit. Enimvero quamvis ei arrideat illud *urget*, non sentienti, quam durum sit *urgere officinas*, pro, laborem sive operas in officinis: tamen e codicibus aliquot Lambini et Rutgersii (v. lect. Venus. p. 239.), item e quatuor suis edidit *visit* pro *urit*, laudans Apollon. Rhod. III. 40 sqq. et gnaviter docens, Deos saepius *visere* vel *invisere* dici locos sibi sacros aut gratos: tamquam id quisquam dubitasset. Sed quis tandem frigidum hoc et glaciale *visit* praeserat calido illi et quasi igneo verbo *urit*? quod ipse oculorum adspectus poetae suggestit atque obtulit, ut videbimus: quod denique cum auctoritate praestat plurimorum et praestantissimorum codicum, tum sensu poetico, dummodo recte intelligatur. Nam *urit* docte et cum vi est pro, accedit, inflamat, id est, aestu et flammis implet. Plane ita Stat. Silv. I. 5. 33. *neu vivilis flamma caminos (Vulcani) ureret.* Ovid. Fast. IV. 473. *Cyclopum exusta antra.* Item eadem prorsus ratione dicitur *incendere aras*, Virg. Aen. III. 297. *accendere aras*, Ovid. Metam. III. 691. *accendere focum*, Ovid. Fast. I. 76. Liv. II. 12. Iam *urere* nihil aliud est, at modo doctius, quam *accendere* vel *incendere*.

Tertia restat vituperatio, caque, ut videtur, gravissima. Quomodo tandem, aiunt, haec universa idea in veris descriptionem illata est? ad cuius naturam nullo modo pertinent montes ignivomi, eorumque eruptiones, nullius, ut constat, anni horae legibus adstrictae. Cogitant nonnulli de fulminibus, Iovi in proximam aestatem a Vulcano cudentis: alii de armis ac telis Deorum, vere ineunte fabricandis, ob cerebriora per aestatem in terris bella, quorum illi participes esse
so-

soleant: alii de Amoris sagittis, quibus vere et aestate maxime
is utatur, faciendis. Haec omnia nihil sunt, nisi inanes ac
subtiles argutiae: nam neque ullam talis commenti significa-
tionem habet nostrorum versuum sententia, et semper obest
id, quod de montibus ignivomis diximus. Peius etiam al-
legoriae aucupes, qui multi sunt nostra aetate, ut Cl. Schmid-
ius Gothanus, designari putant officinas ferrarias aquarum
vi impulsas (nobis *Hammerwerke*), quae per hiemem glacie
constiterint, nunc vere redeunte denuo moveantur: quod est
nobilem imaginem lyricam indignissime immixtuere ac pol-
luere. Et quid? si officinae ferrariae eius quidem generis nul-
lae in Italia fuerunt? . . Horatius, ut veniamus ad rem, car-
men hoc fecit in villa L. Sextii, sita in Campaniae vel Luca-
niae ora maritima, praediis Romanorum divitum oppleta:
certe id animo informemus oportet. Inde in insulas Vul-
canias prospectus patebat. Iam Horatium celebrare velle no-
ctis vernalae amoenitates, ex iis, quae praecedunt, manifestum
est. Ad lunae fulgorem Venerem saltantem cum Gratiis et
Nymphis videbat poeta: poeta inquam, nam ceteri nihil tale
vident. Tum de litora eminus per noctem cernebat etiam
ardentem Hieram aut Strongylen, quae quidem perpetuo
flamas nocturnas evomunt *). Is prospectus cum noctis
vernae amoenitatem haud dubie augeret, tum poetam, Vene-
ris choros semel imaginantem, facile eo perducebat, ut *praes-
sentem sensum* secutus, adsociaret illi phantasmati ideam Vul-
cani,

*) v. Hamilton's observations on mount Vesuvius, mount Etna and other Vul-
canos (London 1774. 8.), p. 87.

cani, mariti Veneris, in officina sua laborantis: quam conciperit proclive erat. Quare non est nisi imago secundaria, primariae ex occasione adiecta; et haec tenus non solum probanda erit hoc in nexu, sed etiam praeclera et insignis, suaviter opposita superiori: Venus ad lunam saltat, dum interim illius bonus maritus in labore desudat. Quod si poetam aliquem Siculum hoc in carmine ante oculos Horatius habuit, quod eleganter suspicatur Cl. Ramlerus, is Actriam aestuante ipso eo tempore, cum carmen suum scribebat, viderit oportet. Sed neque opus est hac suspicione, et semper illi erunt ea, quae diximus, adiungenda.

Memoriam b. LANGII cras ab hora IX matutina, in primae classis auditorio, duo illius egregii cives orationibus celebrabunt, suo Marte consecatis:

IOANNES WILHELMVS BERNARDVS
TEGETMEIER, Hannoveranus, in nonnullas,
unde gloriam querunt homines, nugas inventus
germanitus;

CHRISTIANVS FRIDERICVS WARM-
HOLZ, Thuringius, de fabularum veterum vi
et natura quaedam latine praefatus.

Quos ut benevolē audiant civitatis nostrae PROCES-
RES, et quicumque bonis litteris favent, humanissime ro-
gamus. D. Islebiae a. d. xxv Iun. MDCCCLXXXVIII.

1078


Ad 856 - 25

OBSERVATIONVM
CRITICARVM
PARTICVL A SEXTA

QVA

MEMORIAM
b. IOANNIS GOTTOFREDI LANGII

A. D. XXVI IVN. MDCCCLXXXVIII



IN
TVSTRI ELECTORALI

ORA IX MATVTINA

ECOLENDAM

SSIME INDICIT

ANVS DAVID IANI

YMN. RECTOR

PIS HVLLMANNIANIS



Brown Bowditch Society
Hoffgärtner